

Die 27 dicti mane illustrissimus dominus hora 11 perexit ad ecclesiam parochialem Sancti Nicolai locorum Ulmi et Cappellae, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Paulo Ioanne Canioni rectore et a populo. Omnia de more persolvit, celebravit missam et deinde, praemissa mortuorum absolutione et pontificali veste indutus, visitavit sanctissimum Sacramentum, quod bene retinetur, eoque populum benedixit.

[128r] Baptisterium et sacra olea sufficienter munda sunt. Altaria sunt octo: maius, sancto Nicolao dicatum; 2. a cornu Evangelii, sancti Ioanni et Paulo; 3. Animabus Purgatorii; 4. sancto Iacobo; 5. a cornu Epistolae, sancto Roccho; 6. sancto Ioanni Baptista, iurispatronatus haeredum quondam Ioannis Vibanci et dotatum pro eius manutentione nonnullis stabilibus annui redditus librarum 20; [*manque le 7*] 8. altare sancto Philippo Nerio, iurispatronatus domini Filippini et dotatum pro manutentione nonnullis stabilibus annui redditus decem, et est etiam census librarum centum. Nescire potui an compatroni habeant ullum onus missarum. Praeter duo ultima altaria, caetera manutenentur a populo consuetis eleemosinis. Illustrissimus dominus postquam omnia visitavit et deprehendit sufficienter ornata, laudavit plurimum pietatem populi eumque ad prosequendum hortatus fuit. Reliqua vide in decretis et inventario.

Annui redditus parochi sunt librae 520. Sunt etiam aliqua stabilia pro manutentione ecclesiae annui **[128v]** redditus librarum vigintquinque, quae nisi sufficiant tunc populus tenetur caetera subministrare. Familiae 98. Sacerdotes 3. Animae 481. Altare privilegiatum altare maius.

Successive idem illustrissimus dominus visitavit oratorium seu casazza Sancti Antonii, in quo erecta est societas, et sunt omnes confratres et sorores 250. Dictum oratorium sufficienter manutenetur; pro manutentione eiusdem sunt pluria stabilia annui redditus librarum 20.

Extat etiam cappella Sancti Ioseph erecta a quondam signifero Antonio Padovano quondam Simonis Petri, dotata libris 3000 et 922 censum cum onere missarum quinque in qualibet hebdomada, prout ex testamento rogato a notario Antonio di Cheluciani loci Belgodere die 2 septembris 1651. De adimplemento dictarum missarum prout alias quidquam certi haberri nequit.